

arte perfecta sunt: nec ars efficit quidquam sine ratione; ne natura quidem rationis expers est habenda. Qui igitur convenit, signum aut tabulam pictam quum adspexeris, scire adhibitam esse artem: quumque procul cursum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur: et quum solarium, aut descriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu: mundum autem, qui et has ipsas artes, et earum artifices, et cuncta complectatur, consilii et rationis esse expertem putare? Quod si in Scythiam aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cujus singulae conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in coelo singulis diebus et noctibus: quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione?

Cap. XXXV. Hi autem dubitant de mundo, ex quo et oriuntur et fiunt omnia, casusne ipse sit effectus aut necessitate aliqua, an ratione ac mente divina: et Archimedes arbitrantur plus valuisse in imitandis sphaerae conversionibus, quam naturam in efficiendis, praesertim quum multis partibus sint perfecta illa, quam haec simulata, sollertius. Atque ille apud Attium pastor, qui navem nunquam ante vidisset, ut procul divinum et novum vehiculum Argonautarum e monte conspexit, primo admirans et perterritus, hoc modo loquitur:

— — — — — tanta moles labitur

Fremebunda ex alto, ingenti sonitu et spiritu;

Præ se undas volvit; vortices vi suscitatur,

Ruit prolapsa; pelagus respersit reflans,

Ita num interruptum credas nimbum volvier,

Num quod sublime ventis expulsus rapi

Saxum, aut procellis, vel globosos turbines

Exsistere ictis undis concursantibus?

Num quas terrestres Pontus strages conciet:

Aut forte Triton fuscina evertens specus,